



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Tit. I. Conventus in villa Colonia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974



CAPITVLA
 KAROLI CALVI
 FRANCORVM REGIS
 ET IMPERATORIS.

TITVLVS PRIMVS.

Conventus in villa Colonia.

*INCIPIVNT CAPITVLA QVÆ ACTA SVNT
 anno quarto regni Domni Karoli gloriosi Regis, Domni Hludouici Imperatoris
 filij, in conventu habito in villa quæ dicitur Colonia. quæ etiam subscriptione
 ejusdem Principis & Episcoporum ac ceterorum fidelium Dei confirmata fuere,
 consensu VVarini & aliorum optimatum, Indictione sexta.*



ANCTA Ecclesia navis more, ut de prioribus seculis
 taceamus, ab initio suæ institutionis pelagus seculi hu-
 jus diversa qualitate hætenus Domino moderante tran-
 segit; & modò tranquillitate gravis, amodo autem pro-
 cellæ alicujus tempestate concussa, sed non usquequa-
 que demersa, quin potiùs excitato fidelium precibus
 Christo suo gubernatore, salubri libertatis securitate atque optata do-
 nata serenitate. Vnde etiam in partibus nostri orbis, quæ tempore divæ
 recordationis avi nostri & sanctæ memoriæ Domni ac genitoris nostri
 aliquandiu fuerat pacis suavitate lætata, inimico homine juxta sanctum
 evangelium in agro dominico superfeminante discordiæ zizania in me-
 dio tritici Deo amatæ caritatis, adeo est diversis atque adversis vexata
 molestiis ut non sine maxima difficultate, respectu divino, & fidelium

Tom. II.

A

Dei ac nostrorum solatio, inter nos fratresque nostros pacificatio, & paterni regni ex consensu divisio, seu ejusdem sanctæ Ecclesiæ ac fidelis populi tantorum laborum quantulacunque fieret respiratio. Processu verò temporis, ut solent post condensos aëris turbines nubium in pertranseundo remanere vestigia, restiterunt, fatemur, in nobis & in viris ecclesiasticis necnon & in reipublicæ nostræ solatiatoribus hujusmodi materiæ & fomites dissensionum, ut manifestè patefceret nos divina gratia indigere, ut omnes à contagio morbi pristini penitus exueremur, qua præventi eramus, ut infirmitatem communem videre possemus. Quapropter venientes in unum fideles nostri, tam in venerabili ordine clericali, quàm & illustres viri in nobili laicali habitu constituti, & zelo Dei accensi, memores etiam fidei quam ipsi & antecessores eorum nostris detulerunt prædecessoribus, ponentesque ante oculos dilectionem & fidelitatem quam nobis post defunctionem patris laudabiliter & continentissimè servaverunt, secundùm quod legitur in litteris divinitus inspiratis, hortatus est alter alterum, immo omnes se invicem monuerunt, ut cuncti universum animi rancorem pro quocunque conceptum negotio à corde propellerent, & in Dei voluntate ac sanctæ Ecclesiæ competenti veneratione seu nostra fidelitate servanda, atque debito honore & regia potestate stabilienda & conservanda, quin etiam sese in pacis concordia & vera amicitia copularent: quatenus divinæ clementiæ placerent obnoxii, & de Regis ac regni stabilitate & utilitate possent tractare sublimius, & suum atque totius populi communem profectum & tranquillitatem obtinerent propensius. Sicque Deo amabili atque laudabili conventu unanimiter ac rationabiliter perpetrato, nostræ mansuetudini suam devotionem & actionem fidelissimè suggesterunt. Nos autem tanta fidelium erga dominationem nostram subtiliter perspecta benignitate, ut causa pro sui merito exigebat, eis condignas gratiarum actiones retulimus, & nos nostramque potestatem eorum bonæ convenientiæ per benevolentiam in hoc factò, quod sine dubio ad præsentem & æternam tendit salutem, sociam & comitem fore tota devotione spondimus, abdicatis omnibus, quantum patitur humana fragilitas, quæ persona nostri regiminis ignorantia seu juventute aut necessitate contra convenientem sibi salubritatem & honestatem usque modò egerat aut alterius astu contraxerat. Qua de re communiter inuito consilio, hoc scriptum fieri proposuimus; quod etiam manuum omnium nostrorum subscriptione roborandum decrevimus. In quo quæ nobis nunc præcipuè ad communem salutem & regni soliditatem atque omnium nostrorum utilitatem immo plenissimam honestatem visa sunt pertinere conscripsimus. non loquentes diversarum immutatione personarum, ut modò regalis sublimitas, modò episcopalis auctoritas, modò autem fidelium loquatur commoditas; sed secundùm Apostolum, sub uno capite Christo, ut revera unus homo, in unius Ecclesiæ corpore, singuli autem alter alterius membra, quod profit omnibus omnes unanimiter una voce loquamur per eum & in eo qui dixit & de quo dictum

1. Mach. 11. est: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.*

Matth. 10.

C A P. I.

DE honore videlicet & cultu Dei atque sanctarum Ecclesiarum quæ auctore Deo sub ditione & tuitione regiminis nostri consistunt, communiter Domino mediante decernimus ut sicut tempore beate recordationis Domini ac genitoris nostri excolte & honorate atque rebus ampliatae fuerunt, salva æquitatis ratione ita permaneant, & quæ à nostra liberalitate honorantur atque ditantur, de cetero sub integritate sui seruentur, & sacerdotes ac servi Dei vigorem ecclesiasticum & debita privilegia juxta reverendam auctoritatem obtineant, eisdem verò regalis potestas & inlustrium virorum strenuitas seu reipublicæ administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & iustè concurrant.

I I.

Honor etiam regius, & potestas regali dignitati competens, atque sinceritas & obtemperantia seniori debita, remota omni socordia & calliditate seu qualibet indebita quorumcunque conjunctione contra honorem & potestatem atque salutem nostram sive regni nostri soliditatem, nobis in omnibus & ab omnibus, sicut tempore antecessorum nostrorum consueverat, exhibeatur. Et si quis quemcunque contra nos & contra hanc pactam sinceritatem aliquid moliri manifestè cognoverit, si eum converti nequiverit, aperte prodatur atque denotet. Et sic consilio atque auxilio episcopalis auctoritas & fidelium unanimitas, ut noster honor & potestas regia inconversa permaneat, totis nisibus decertare & adjuvare procuret.

I I I.

Quia verò debitum esse cognoscimus ut à quibus honorem suscipimus, eos juxta dictum dominicum honoremus, volumus ut omnes fideles nostri certissimum teneant, neminem cujuslibet ordinis aut dignitatis deinceps nostro inconveniendi libitu, aut alterius calliditate vel injusta cupiditate, promerito honore debere privare, nisi iustitiæ iudicio & ratione atque æquitate dictante. Legem verò unicuique

competentem, sicut antecessores sui tempore meorum prædecessorum habuerunt, in omni dignitate & ordine favente Deo me observaturum perdono.

I V.

Quod ut facilius atque obnoxius nostra auctoritas valeat observare, omnes sicut in vestra bene memorabili convenientia pepigistis conservare studebitis. Immo etiam cuncti in postmodum sollicitè præcavebunt ne aliquis pro quacunque privata commoditate aut reiicienda cupiditate, sive alicujus consanguinitatis vel familiaritatis seu amicitiae conjunctione, nobis immoderatiùs suggerat vel postulationibus aut quolibet modo inlicitat ut contra iustitiæ rationem & nostri nominis dignitatem ac regiminis æquitatem agamus.

V.

Et si fortè subreptum nobis quippiam ut homini fuerit, competenter & fideliter, prout sublimitati regiae convenit, & necessitatibus subditorum expedit, ut hoc rationabiliter corrigatur, vestra fidelis devotio admonere curabit.

V I.

Tandem autem visum est nobis adnectere, ut si quis hoc fœdus concordiae salubris, quod propter pacis caritatisque custodiam inivimus, & chirographi virtute subscripsimus, rebeli atque animo pertinaci iruperit, Christiana dilectione admoneatur, & ad inconversum caritatis vinculum conservandum (quod qui tentaverit corrumpere, facilius poterit se ipsum disrumpere quam illud possit intrumpere) juxta monita divina ut respiscat hortetur. Et si audierit, fiat de societate fidei omnibus gaudium. Si verò obaudire renuerit, tunc pontificalis auctoritas & regalis sublimitas atque in caritatis connectione persistentium magnanimitas, secundum quod res & necessitas postulaverit, ac ratio expetierit, seu qualitati persona convenierit, zelum suæ devotionis ferventissimè exerat, & quod inspirante Deo agendum in omnem salutis & utilitatis atque honestatis partem judicaverit, inrefragabiliter peragat.

